



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Cognitionem humanam diuin[a]e postponi, ratione certitudinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

tate cognoscendum. At diuina scientia terminis caret: cognoscit enim Deus omnia præterita, quæ fuere; omnia præsentia, quæ sunt; omnia futura, quæcunque post alijs erunt in annis, & in tota æternitate. Enimuerò cognoscit etiam quæ futura non sunt, fieri tamè possent, si ipse vellet; cognoscit seipsum, & totam diuinitatem penetrat, quasi pelagus omnium scientiarum; cognoscit hæc omnia simul, & intimè, & quantum cognosci possunt, infinita perspicuitate.

VII. 2. Itaque creaturæ non modò pauciora, sed etiam obscuriùs, atq; imperfectiùs cognoscunt. quæ siue abstractiuâ, siue intuitiuâ scientiâ cognoscunt; Deus omnia cognoscit perfectissimè, omnique modo, quo cognosci possunt, & adeò omnia lucidissimè comprehendit.

VIII. 3. Quando homo aliquid etiam ex suis caussis cognoscit, per quasdam duntaxat imagines specièsque mentis, aut per effectus tantummodo, tanquam per vestigia, illud cognoscit; Deus verò tali medio non indiget; sed per suammet essentiam, quasi, per clarissimum speculum omnia intuetur. Continet enim in se eminentiâ quadam, quidquid in vllâ creaturâ perfectionis formaliter, vt scholæ aiunt, reperitur. Sicut ergo se ipsum, ita & illa in se conspiciunt. Quod de nobis dici nō potest, qui res per imaginem earum intendo, aut per effecta tantum indagamus. Quare, sicut aliud est feram, verbi gratia ceruam, per vestigia, aliud in se ipsâ, & aliud hominem nomine, aliud facie cognoscere, ita longè excellentiùs cognoscit Deus res, quàm homo.

IX. 4. Homo sæpe longâ meditatione, multoque studio indiget, ad rem cognoscendam, Deus autem in ictu oculi, in instanti, & vno mentis intuitu simul omnia comprehendit. Hinc nunquam potest esse præceps, sicut homo, qui ante tempus iudicat, & sæpe non satis sibi sumit temporis ad cogitandum, aut de re quapiam deliberandum.

X. 5. Incerta est cognitio humana, cum res frequenter soleant mutari, & aliter aliterque euenire: at Deus rerum omnium etiam contingentium, atque in se ipsis incertarum, certissimam habet, ac infallibilem cognitionem.

XI. 6. Cognitio hominis temporanea est, & cœpit; Deus verò ab æterno omnia nouit; scientia proinde illius, vt nunquam cœpit, ita nunquam desinet; est enim ita instantanea, vt simul sit semper.